



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Het Paradys Der Gheestelycke en Kerckelycke
Lof-Sangen, Op de principaelste Feest-daghen des
gheheelen Jaers**

Afhakker, Aegidius

T'Antwerpen, 1638

Dominica ad Vesperas.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55104](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55104)

Volghen de Psalmen die inde
 H. kercke ghebruyckt worden / in de
 Vesper ende Compleet / op Sonda-
 ghen ende H. daghen.

Dominica ad Vesperas.

PSALMVS 109.

Dixit Dominus Domino meo: Sede
 à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos:
 scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuę emittet Do-
 minus ex Sion: dominare in medio inimico-
 rum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuę in
 splendoribus sanctorum: ex utero ante luci-
 ferum genui te.

Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum:
 Tu es sacerdos in æternum secundum ordi-
 nem Melchisedech.

Dominus à dextris tuis: confregit in die
 irę suę reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas:
 conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: propterea exalta-
 bit caput.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.
 Sicut erat in principio, & nunc, & semper:
 & in sæcula sæculorum, Amen.

PSALMVS IIO.

Confitebor tibi Dñe in toto corde meo:
in consilio iustorum, & congregatione.
Magna opera Domini: exquisita in omnes
voluntates ejus.

Confessio & magnificentia opus ejus: & ju-
stitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, mise-
ricors & miserator Dominus: escam dedit ti-
mentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui: virtu-
tem operum suorum annuntiabit populo suo.

Vt det illis hereditatem gentium: opera
manuum ejus veritas & iudicium.

Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in
sæculum sæculi: facta in veritate & æquitate.

Redemptionem misit populo suo: manda-
vit in æternum testamentum suum.

Sanctum & terribile nomen ejus: initium
sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus
eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Gloria Patri, & Filio.

PSALMVS III.

Beatus vir qui timet Dominum: in man-
datis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: generatio
rectorum benedicetur.

Gloria & divitiæ in domo ejus: & justitia
ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, & miserator & iustus.

Jucundus homo qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in iudicio: quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit iustus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus: non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Disperfit, dedit pauperibus, iustitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit. Gloria Patri, & Filio.

PSALMVS 112.

Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum: laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cælos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: & humilia respicit in cælo & in terra?

Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus: cum

prin-

principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo : matrem filiorum letantem. Gloria.

PSALMVS II 3.

IN exitu Israel de Ægypto : domus Iacob de populo barbaro.

Facta est Iudæa sanctificatio ejus : Israel potestas ejus.

Mare vidit, & fugit : Iordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes : & colles sicut agni ovium.

Quid est tibi mare, quodd fugisti : & tu Iordanis, quia conversus es retrorsum ?

Montes exultastis sicut arietes : & colles sicut agni ovium.

(Iacob.

A facie Domini mota est terra : à facie Dei

Qui convertit petram in stagna aquarum : & rupem in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis : sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua, & veritate tua : ne quando dicant gentes, Ubi est Deus eorum ?

Deus autem noster in celo : omnia quęcumque voluit, fecit.

Simulacra gentium, argentum & aurum : opera manuum hominum.

Os habent, & non loquentur : oculos habent, & non videbunt.

Aures habent, & non audient : nares ha-

bent, & non odorabunt.

Manus habent, & non palpabunt pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adiutor eorum, & protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis.

Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum: pusillis cum majoribus.

Adjiciat Dominus super vos: super vos, & super filios vestros.

Benedicti vos à Domino: qui fecit cælum & terram.

Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino: ex hoc nunc & usque in sæculum.

Gloria Patri, & Filio.